

LEONI DECIMO, PONTIFICI MODIS OMNIBVS SVMMO,
 ERASMV ROTERODAMV THEOLO
 GORVM INFIMVS. S. D.

Inter tot egregia decora, Leo decime, pontifex maxime, quibus undiq; clarus & suspiciendus, ad potifficiae dignitatis culme adisti, hinc infinitis Mediceae domus ornamenti, non minus eruditorum hominum monumentis, quam maiorum tuorum imaginibus & honoribus indytæ; hinc innumeris corporis animique dotibus, quas partim diuini numinis indulfit benignitas, partim eadem aspirante, tua parauit industria; non alia res te uerius, aut magnificentius illustrauit, quam quod ad istum honorem, quo maior inter homines, homini non potest contingere, parem morum attuleris innocentiam; neque uero uitam modo ab omni dedecore longe lateque semotam, uerum etiam famam, nulla unquam sinistrae rumoris labe aspersam. Id quod cum ubique difficultimum est, tum praecipue, Rhomæ, cuius urbis tanta est libertas, ne dicam petulantia, ut illic a conuicijs parum tuta sit & integritas; ac ne ipsi quidem absint a crimine, qui plurimum absunt a uicijs. Quibus rebus factum est, ut Leoni non paulo plus uerae laudis pepererit, quod summum pontificium promerisset, quam quod accepisset. Jam in ipsa pulcherrimi simul & sanctissimi muneris functione, cum tot praedaris factis, tot eximijs uirtutibus susceptum honorem uicissim cohonestes; nihil tamen est, quod te superis pariter & mortalibus commendet efficacius, quam quod summo studio parique sapientia, illud potissimum agis ac moliris, ut in dies in melius prouehatur Christiana pietas, hactenus temporum maximeque bellorum uicio, non nihil labefacta collapsaque; ut est caeterarum item omnium rerum humanarum natura, ni manibus pedibusque obnitamur, paulatim in deterius relabi, ueluti que degenerare. At res egregias aliquoties, ut difficilius ita & pulchrius est restituisse, quam condidisse. Proinde quando tu nobis uelut alterum exhibes Esdram, & sedatis, quod in te fuit, bellorum procellis, sarcinae religionis prouinciam strenue capeffis, par est nimirum, ut omnes ubique gentium ac terrarum Christiani, rem omnium pulcherrimam ac saluberrimam.

aaa 2



oo. x.
 iter
 s. dra.

ERASMI ROTERODAMI PRAEFATIO

ac saluberrimam conantem, pro sua quisq; facultate adiuuet. **I**am uideo passim, excellentes ingenio uiros, cum magnos & opulentos reges, Solomoni nostro in templi structuram mittere, marmora, ebur, aurum, gemmas. Nos tenues reguli seu potius homunculi, qualescunq; materias, aut certe caprarum pelles, ne nihil conferremus, mittere studemus. uile quidem munusculum, quod ad nostram attinet operam, sed unde (nisi me fallit animus) Christi templo, si non multum splendoris, certe non parum utilitatis sit accessurum, praesertim si eius calculo comprobetur, de cuius unius nutu ac renutu summa rerum humanarum pendet uniuersa. **E**tenim cum illud haberem perspectissimum, praecipuam spem, planeq; sacram, ut aiunt, ancoram, restituendae sarciendaeq; Christianae religionis in hoc esse sitam, si quotquot ubiq; terrarum Christianam philosophiam profitentur, in primis autoris sui decreta, ex Euangelicis Apostolicisque literis imbibant, in quibus uerbum illud caeleste, quondam e corde patris ad nos profectum, adhuc nobis uiuit, adhuc spirat, adhuc agit & loquitur, sic ut (mea quidem sententia) nusquam alias efficacius aut praesentius; adhuc, cum uiderem, salutarem illam doctrinam longe purius ac uiuidius ex ipsis peti uenis, ex ipsis hauriri fontibus, quam ex lacunis, aut riuulis; nouum/ut uocant/testamentum, uniuersum, ad graecae originis fidem recognouimus, idque non temere, neque leui opera, sed adhibitis in consilium, compluribus utriusque linguae codicibus, nec ipsi sane quibuslibet, sed uetustissimis simul & emendatissimis. **E**t quoniam nouimus in rebus sacris, religiose quoque uersandum esse, nec hac contenti diligentia, per omnia ueterum theologorum scripta circuuolantes, ex horum citationibus aut expositionibus subodorati sumus, quid quisque legisset, aut mutasset. Adiecitimus annotationes nostras, quae primam lectorem doceant, quid qua ratione fuerit immutatum, deinde si quid alioqui perplexum, ambiguum, aut obscurum, id explicent, atque enodent. **P**ostremo quae obsistant, quo minus prodiue sit in posterum deprauiare, quod nos uix crededis uigilijs restituissemus. **Q**uamquam ut ingenue dicam, quicquid hoc est operis uideri poterat humiliter, quam ut ei dicendum esset, quo nihil maius habet hic orbis, nisi conueniret, ut quicquid ad religionem instaurandam pertinet, haud alij consecratur, quam summo religionis principi, & eidem assertori. Neque metus est, ne munus hoc nostrum qualecunq; sis aspernaturus, qui non loco tantum referas illum, qui donaria non precijs sed animis solitus sit aestimare, qui dum minutula pauperula uiduae, splendidis, & opimis diuitum donarijs praetulerit. **I**am an non cotidie uidemus inter auro gemmisque radiantia regum donaria pratensibus flosculis, aut hortensibus herbulis concinnatas corollas suspendi diuis, quas, re tenuis, pietate diues offert plebecula. **A**lioqui quicquid illud est seu magnum, seu pusillum, seu ludicum, seu saerium, quod huius ingenioli fundus produxerit, id omne, ut nullus dedicet, suo iure sibi potest uindicare, summus ille apud suos, uirtutum ac literarum omnium Meccenas & antistes, Gulielmus Ar.

Erasmus h' opus
Leoni ppe x. ad
chruana religio-
nis structu-
ra offert,

Praecipua spes resti-
tuende religionis chru-
anae i hoc sita sit:
ut nos oes chru-
ni decreta
ex Euangelio
Apostolicisq; literis
imbibamus

Ex quibus codicibus siue
Exemplaribus hac cum
quanta diligentia
Nouum testamētum
recognouit

Annotatores i fine
huius operis quare ad-
iicit,

Quo summo pontifici
h' opus dicatur
sit et Archiepiscopo
Cantuariensi

AD LEONEM. X. PONT. MAX.

elmus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ, non tituli tantum honore primas, ac tuæ sanctitatis legatus, ut uocant, natus, cui meipsum quoq; quantum quantus sum debeo, non modo uniuersum studiij mei prouentum. Siquidẽ is (ut ne dicã interim, cuiusmodi tum publice, tum priuatim in me fuerit) id præstat suæ Britannia, quod Leo præstat orbi terrarũ, quodq; Medicea domus iam olim est Italia, uel hoc nomine terrarum omniũ felicissima, hoc is suis est Anglis, ceu salutare quoddam sidus, ab ipsis fatis in hoc datus, ut eo præside, quicquid est bonarum rerum repullulet ac subole scat. Nam perinde, quasi uno in homine plures sint heroes, & unicum pectus, non simplex inhabitet numen, ita miris modis Archiepiscopum gerit ecclesie, legatũ sedi Rho manæ, consiliarium regia, cancellarium iusticia, Meccenatem studijs. cuius opera potissimũ factũ est, ut insula iã olim uiris, armis, opibusq; pollens, nũc optimis itẽ legibus, religione, moribus, ad extremum ingenijs omni literarum genere perpolitus, adeo floreat, ut cum quauis caterarum regionum possit ex æquo contendere. Verum quo latius huius laboris nostri manaret utilitas, uisum est, tui nominis apud oẽs sacrosancti, ceu lenocinio quodã ad publicã orbis abuti cõmoditatẽ, præsertim cũ huc uocet ipsa quoq; rei ratio, quod pulchre congruebat, ut illius auspicijs hæc Christiana philosophia diriuaretur ad omneis mortales, qui Chri ana religionis teneret arcem, ac per eum proficisceretur doctrina cœlestis ad uniuersos homines, per quem Christus nos uoluit accipere, quicquid homines e terris euehit in cœlũ. Quancq; adeo, quid tandẽ uetat, quo minus hic liber gemina commendatione fultus, hoc etiam felicius & auspiciatus exeat in manus hominum, si duobus totius orbis summatibus uiris communiter fuerit consecratus? Quandoquidem aris templisq; uidemus hoc plus accedere maiestatis ac uenerationis, quod pluribus simul diuis sint dedicata. Iam hoc quantumlibet nouum uideatur, modo publicæ conducat utilitati. Et ea est Leonis modestia facilitasq; ut hac parte nõ minus sit maximus, quã ea qua maximos omnes longo superat interuallo. Et ea est Archiepiscopi in omni decorum genere præstantia, ut Leonem omnibus numeris summum, nõ alius magis deceat collega. Postremo si fas est apud tantũ principẽ nõ nihil Thra sonis e comœdia referre, quã tũuis in speciem humilis uideatur hinc meus labor, tamẽ confido futurum, ut attentus lector aliquanto plus deprehendat in secessu, q̃ priua statim fronte præ se ferat opus. Sed ne si celsitudinem tuam iugi sollicitudine, terrarum orbi consu lentem, longiore sermone remorans, in publica peccem cõmoda; quod reliquum est, cum plebeio lectore transigam, sed prius illud apprecatus, ut cuius prouidentia Leo decimus contigit subleuandis rebus mortalium, idem eum nobis & q̃ maxime longæuum esse uelit, & felicissimum.

Magnis laudibus ex
tollit Guilielmũ
Archiep̃m Cantu
ariensem

Quare suõ pot̃fici hõ
op̃n nũcupaueris

Quare duobus pot̃fici
sib; offeraueris

Eplaz p̃cipitat,

Nota

BASILEAE ANNO RESTITVTAE SALVTIS M.D.XVI.

CALENDIS FEBRVARIIS.

aaa 3